

ALIA PRECATIO  
brevior.

**O**mnipotens, iuste, & misericors Deus,  
ne patiaris sanctissimum nomen tuum  
propter peccata nostra affici contumelia.  
Nam alioqui plus satis te benignum Patrem  
offendimus, dum verbo tuo, ut par erat, non  
obedimus: dum ignorantia, ingratitude  
& murmure nostro, iram tuam quotidie ad-  
versus nos concitamus, atque ita iustas pœ-  
nas nobis attrahimus. Verumtamen, ô Do-  
mine, miserere nostri pro magna tua miseri-  
cordia: fac ut peccata nostra & rectius  
agnoscamus, & magis deploremus, & vi-  
tam nostram emendemus. Excita & corro-  
bora Magistratum populi tui, ut gladio, quē  
ei porrexisti, ad terrorem & securitatem le-  
gitimè utatur. Confirma Ministros Eccle-  
siarum tuarum, ut fideliter & constanter  
verbum tuum doceant, & omnes officii sui  
partes obeant. Tuere ac defende nos ab  
omni dolo & perfidia. Irrita fac omnia sce-  
lerata atque insidiosa consilia, quæ adver-  
sus Ecclesiam & verbum tuum capiuntur.  
Ne subtrahas nobis verbum tuum, & Spi-  
ritum S. tuum ne auferas à nobis. Excita in  
nobis veram fidem, patientiam & constan-  
tiam:

tiam: